



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Sectio IV. Opinionem minùs probabilem & minùs tutam amplecti licet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

Civilis. Purum putum Jansenium audire mihi videor. Sed dic sodes, Willelme, cur ignorantia juris positivi excusat, & juris naturalis non excusat? Quia hæc, inquis, est pœna peccati originalis, non verò illa. quàm bene Jansenius, immò Calvinus & Lutherus tibi suffragantur! Sed, nullus dubito, utraque excusat, quia voluntarium tollit; nec enim id volo, quod ignoro. Hæc ratio vel utrique, vel neutri competit. Si verò crassa sit, affectata, voluntaria, quæ quis ignorat quod vult ignorare, quia doceri potest si velit, sed hoc ultrò negligit; à peccato non liberat: sive sit juris naturalis, sive juris positivi. Et hæc est omnium Catholicorum sententia; quam hoc loco fusè demonstrarem, nisi auctores, quos jam supra laudavi, id egregiè præstitissent.

SECTIO IV.

Opinionem minus probabilem & minus tutam amplecti licet.

§. I.

Variis argumentis hæc Doctrina confutatur.

SI hoc unum dumtaxat probares, teneri scilicet quempiam ad probabilius; nihil reverà esset, quod jure in te castigarem. * Nonnullis enim probabilis hæc sententia videtur: non tamen illis omnibus, quos in hanc rem citas, ex quorum censu expunge Navarum, S. Antoninum, Sot. &c. Immo nonnulli ex iis quos adducis, in vario sensu loquuntur: ut Cajetanus, Corduba, &c. At quòd sententiam contrariam, ut

* Pag. 90.

blasphemam, impiani, erroneam, hereticam, traducas, in hoc sanè iudicium tuum desidero; cum illa & firmissimis rationibus, & gravissimorum Doctorum calculo nitatur. Horum censum describerem, nisi apud auctores extaret: frustra igitur tot nominibus paginas implerem; præsertim cum iis hominibus agens, qui Doctores illos rejiciunt non sine sarcasmo, quorum suffragio Jansenii errores non gaudent. Sed ad rem venio; etsi probè sciam, me oleum & operam perdere, dum tecum disputo, quem nec rationum momenta remonent ab errore, quas haud dubiè non capis, aut si capias per summam obstinationem respuis; nec Doctorum auctoritas movet, quos non modò nihili facis, sed pro sceleratis ac perditis hominibus, & Catholicæ religionis perturbatoribus habes. In hoc tamen, officio meo satisfaciam, licèt probè sciam, tuo te prorsus defuturum.

Itaque inficias ire nemo potest, quin jam communis omnium recentiorum sententia sit, quibus multi ex antiquioribus etiam accedunt, quempiam posse in actionibus moralibus, ex duabus opinionibus contrariis minùs probabilem amplecti. Qua enim lege, vel naturali, vel positiva id vetitum est? Cedo Scripturæ, Conciliorum & Patrum loca; expressa scilicet & perspicua: nec enim farraginem illam vestram, quæ nihil probat, sed paginas duntaxat occupat, admitto, Præterea eo jure, quo probabiliorē sequor, minùs probabilem sequi possum, jure scilicet probabilitatis, in quo prudens actio fundatur, mediata scilicet & remota: nam proximè ac immediatè fundatur in certo iudicio practico, ex quo deducitur; idque in eo rerum genere, quas certa notione homines assequi non possunt. Deindè illa, quæ mihi videtur probabilior, aliis ut plurimum minùs, aut æquè probabilis videbitur: quid

quid ergò in re obscura aliorum iudicium meo præferre vetat? Nec enim ad veritatem certò spectare possum, quæ utrimque incerta est. Denique si opinionem minùs probabilem amplecti non licet, igitur hæc tuta non est: quod enim tutum est periculo caret: igitur nec probabilis, scilicet in praxi; cum certum sit, nemini licere peccandi periculo sese ultrò exponere, saltem sine gravissima ratione; de quo aliàs. Igitur prima illa, quæ improbabili opponitur, non probabilis, sed omnino certa est: quod nemo dicat. Nec dicas, minùs tutam esse probabilem, licèt illius electio non sit probabilis: nam probabilitas non cadit in electionem, sed in ipsam opinionem: quæ si verè probabilis est, certò tuta est, tum materialiter, tum formaliter; nisi aliud præceptum obliget, omisso probabili, sequi certum, aut saltem probabilius, si certum deest: illud autem præceptum est, vel charitatis, vel iustitiæ, vel obedientiæ, aut religionis; ut suprà vidimus, in adductis exemplis. Adde, quòd illa opinio, communis & longè probabilior est, saltem hoc tempore, qua conceditur, è duabus minùs probabilem sequi. Igitur ubi iudico, tutam esse in praxi, opinione probabiliori moveor & ducor. Quod verò attinet ad auctores, qui hanc sententiam tradidère, omnes omnino recense, qui à centum annis scripserunt; si unum aut alterum excipias, quibus tertium accensum esse velim, scilicet Canonistam quendam neotericum, qui ultrò fatetur, se non esse Theologum: nec mirum accidit, cum ferè omnia Philosophiæ & Theologiæ principia, quæ ad hoc argumentum pertinent, disjecerit. Sed ad tua argumenta venio.

* Primo loco statim illud obtrudis: nullam opinionem probabilem tutam esse, nisi vera sit. Hoc commentum probare debueras, non supponere: sed tibi

probè consulis, qui probandum non suscipis, quod erroneum est. At etiam demus, ita esse, ut dicis etiam opinio probabilior falsa esse potest: igitur non est tuta, si nulla tuta sit, quæ falsa esse possit: igitur cum minùs probabilis vera esse queat, tuta esse potest.

Ad aliud deindè argumentum descendis: qui minùs probabilem opinionem sequitur, inquis, securus non est: igitur dubitet, necesse est: igitur dubiam conscientiam habet: igitur tutiorem partem eligere debet, ex juris formula. Hoc loco supponis conscientiam dubiam, quæ tamen certa est; cum certum sit, eum prudenter agere, qui ex opinione verè probabili agit, quando non obstat aliud præceptum: alioquin etiam conscientiam dubiam habet, qui ex probabiliore agit: hæc enim quamvis probabilior sit, certa tamen non est: igitur cum formidine conjuncta: igitur ex tuis principiis cum dubia conscientia agere liceret: igitur ubi judico, aliquam opinionem esse verè probabilem, v. g. illam qua dicitur, virtute triplicis contractus, ut vocant, justum lucrum percipi posse; hanc propositionem primò elicio: ille contractus est justus, & legitimus, cum minimè repugnet juri naturali, nec positivo; & hoc gravissimi, piissimi Doctores, iiq̃ue plurimi doceant: hinc judico, vel potiùs deduco, certum esse, quod hæc propositio verè probabilis sit, seu quod honestas probabilis huic objecto insit, vel justitia probabilis huic contractui; ac proindè illius praxis recta & tuta sit: hoc autem ultimum judicium, quod aliqui practicum vocant, est certum: igitur conscientia tuta, certa, secuta: igitur non dubia.

Si verò certum non sit, opinionem esse probabilem, sed incertum, & tantùm probabile; haud dubiè illa non est tuta in praxi: quia, ut non est mihi certum, esse

esse probabilem, ita non est mihi certum, esse tutam: igitur incertum, ac proinde dubium: hinc conscientia dubia: nempe judico inesse probabile periculum peccati; sed illud fugere teneor: & licet aliqui dicant, abesse dubium, ubi adest judicium, falluntur haud dubie, nisi hoc judicium certum sit; judico enim, probabile periculum inesse. Et hæc est opinio probabilis speculativè duntaxat, quæ scilicet ad praxim reduci non debet: hinc practicè probabilis non est: immò cum sit tantum probabile, esse probabilem; est etiam probabile, esse improbabilem: igitur probabile, oppositam certam esse; certum verò, esse maximè probabilem.

Hinc primum locum obtinet illa, quam, certum est, certam esse; secundum illa, quam probabile est, certam esse; tertium illa, quam certum est, esse probabilem; quartum illa, quam probabile est, esse probabilem, ac proinde probabile, non esse probabilem, vel esse improbabilem; quintum denique illa, quam certum est, esse improbabilem. Opposita autem illi quæ est primæ classis, est quintæ; quartæ verò, opposita illi quæ est secundæ; in eadem tertia classe, utraque opposita locum habet. Hinc nunquam licet in praxi quintæ & quartæ classis opiniones sequi; sed tenemur sequi oppositas, quæ sunt primæ & secundæ; nisi fortè per inculpatum errorem. Opiniones tertiæ classis amplecti ad libitum possumus, quia certum est, esse probabiles: igitur certum est, esse tutas: igitur certum est, abesse periculum peccandi: immò sunt æquè tutæ, cum peccatum æquè excludant: hinc sunt probabiles, tum speculativè, tum practicè. Opiniones tamen quartæ classis, speculativè, vel opinativè, ut vocant, tenere possumus, in quo non peccatur: non tamen practicè, quia probabile periculum supponunt,

nunt quod vitare tenemur: igitur non sunt tutæ formaliter: tuta enim securum facit. Accedit quod oppositam sequi tenemur, quæ est secundæ classis; quam scilicet certam esse, probabile est. Hæc pauld fusiùs explicare volui, non quod sperem tibi usui fore, quem obstinatissimum esse conjicio; sed ut auctores Catholici qui diversa sentire videntur, vel indè inter se conciliari possint.

Non deerunt fortè, qui velint, opinionem illam tutam esse, vel potiùs illius usum tutum, quam probabilem esse, incertum est, licèt probabile. Sed eos nihil moror: nam reverà ut ex hoc iudicio, *certum est, opinionem hanc esse probabilem*, rectè hoc deducitur, *certum est, illius usum esse tutum*; ita ex illo, *incertum est, esse probabilem*, rectè hoc sequitur, *incertum est esse tutam*: igitur dubium: sed ex D. Thom. quodlibeto 8. art. 13. ne quis peccet, requiritur quodd ex contrarietate opinionum, in nullam dubitationem adducatur: igitur certus esse debet, quodd sit tuta opinio: igitur, citra inculpatam ignorantiam, quodd sit verè probabilis, vel certa: igitur ut sequi non potest eam, quam probabile est, esse improbabilem; ita sequi debet oppositam, quam certam esse probabile est.

Pergis deindè eandem sententiam confutare. Sæpè tantùm inquis, ex altera parte, est periculum peccandi: sic dubitatur, utrùm liceat habere plures præbendas; sed non dubitatur, quin liceat non habere plures: igitur, qui hanc sequitur partem, non modò magis probabilem minùs probabili, sed omnind certam antepone. Si docilis esses, ad Logicam (agitur enim de oppositis) te amandarem: nam ineptè huic propositioni, *licet habere plures præbendas*, hanc opponis, *licet non habere plures præbendas*; cum tamen hæc sit opposita, *non licet habere plures præbendas*: quod
vel

vel minimus in Dialectica tyro te docebit : nempe illæ duæ quas adducis , ut oppositas , vel contrarias , veræ simul esse possunt. Sic die non præcepto , licet jejunare , itemque licet non jejunare. Itaque si huic , *licet habere &c.* quam probabilem supponis , exempli gratia , oppositam *non licet habere &c.* accipias , haud dubiè certa dici non potest , sed probabilis , aut saltem probabilior. Cur ergo oppositam illam certam esse dicis ? vis sincerè dicam ? quia hæc non intelligis , & in re alioquin satis clara cæcutis. mihi sanè mirum ampliùs non accidit , cur ratiocinii usum tam sollicitè proscribere coneris ; cum eo scilicet tam infœliciter utaris. Locus Augustini contra Donatistas non urget : quia S. Doctor vult tantùm , certum esse peccatum , quod ab eo patratur , qui peccati dubius est atque incertus ; id est , ut communi formula utar , qui cum dubia conscientia operatur. In hoc verò casu , non est dubia conscientia , sed certa. Unde refellitur etiam aliud , quod à te adducitur , eum scilicet contra conscientiam operari , qui minùs probabilem amplectitur. In quo etiam erras , cum secundùm illud iudicium operetur , quo certò iudicat , opinionem illam probabilem & tutam esse , ac proinde nullum esse peccatum : si certum iudicium est , reverà dubium non est : igitur , ut patet , contra conscientiam non operatur.

Quod addis de causa , * quæ ad electionem opinionis minùs probabilis impellit , quam vis esse cupiditatem ; turpem ego causam non approbo : non video tamen , cur aliquis suæ conscientia simul & utilitati consulere , in rerum humanarum usu jure non possit , v. g. cur aliquis , ut justum ex pecunia lucrum percipiat , inquirere non possit , utrùm usus Trium Contractuum licitus ac legitimus sit ? Quod demùm

subnectis ex Tullio de Academicis, ad rem non facit, ut supra dictum est: immò pessimè Tullii locum explicas, dum ea, quæ ipse improbabilia vocat, vis esse minùs probabilia: quàm unum ab alio discrepet, omnes vident. Te saltem Grammaticum esse putabam, qui nec Logicus es, nec Theologus, nisi Salisburgensis. Sed ni fallor, jam ferè cum Casuistis tibi convenit. Vel enim agitur de re certa, vel de dubia: si certa est, omnes conveniunt, illi oppositam probabilem non esse, sed improbabilem & certò falsam; si verò de dubia, ita ut utrimque de rei veritate disputetur, vis divinum lumen implorandum, & diligentiam adhibendam; quod etiam Casuistæ dicunt. Perge porrò. Vis eam præferri, quæ probabilior appareat; at si S. Thomas oppositam teneat, num poterit quispiam illam sequi? si demùm utraque æquè probabilis videatur, concedis utramlibet, etiam cum illo, quod fingis, periculo peccandi; in quo turpiter erras, & longè laxior es, quàm Casuistæ. Hæc enim est conscientia dubia, quæ actionem vitiat, ut omnes Casuistæ testantur. Nempe conscientiam tutam certum judicium constituit de actionis honestate; quod tamen sequitur ex judicio etiam certo de opinionis probabilitate, vel certa objecti veritate, citra ignorantiam invincibilem, quæ cum certo de actionis honestate judicio rectè componitur; & citra obligationem, ab alio præcepto inductam, sequendi dumtaxat vel certum, vel probabilius; ut constat ex supra adductis exemplis.

Sed, quæso, per te mihi liceat, hîc etiam breviter delibare doctrinam præfati Canonistæ, à quo etiam multa accepisti; licet hic cum Catholicis Doctoribus sentiat, ignorantiam invincibilem à peccato liberare; in quo à vobis dissentit. Vult autem prædictus

dictus auctor, non posse dari duas opiniones oppositas probabiles de eodem objecto; alioquin intellectus dubius pendet in æquilibrio sine assensu, dum utramque partem existimat probabilem. Itane? existimat probabilem? Igitur assentitur; cum existimare idem sit, quod assentiri; igitur sine assensu non manet. Deinde quisquis judicat, aliquam propositionem objectivam, ut vocant, esse probabilem, eidem assensum præbere potest, si velit; at utramque partem intellectus judicat probabilem; igitur utrique assentiri potest. Sed inquis, simul non potest utrique assentiri; nec etiam seorsim; cur enim potius uni, quàm alteri? In hoc opinor hallucinaris. Demus, utrique parti oppositarum propositionum intellectum simul assentiri non posse: non video, cur utrique seorsim assentiri non possit, voluntatis jussu, quæ applicat intellectum ad assentiendum objecto, non evidenter, sed obscurè proposito. Sed inquires: intellectus præluceat voluntati. Rectè: anima, cui proponitur utraque propositio, sufficientibus rationibus nixa, ad hoc ut intellectus prudenter assentiat, ea vi pollet, qua ad assensum uni præbendum, vel alteri, vel utrique seorsim, sese determinet. & hoc est, quod dixi, voluntatis imperio, intellectum assentiri. Sed ille assensus, inquis, cum formidine conjunctus est; igitur cum aliquo dubio. Fateor primum assensum illum opinativum, ut vocant, quo veritati propositi objecti mens assentitur, cum aliqua formidine esse conjunctum, & cum aliquo dubio, non peccandi, sed errandi; dubio, inquam, non negativo, ut vocant, quo scilicet intellectus suspensus maneat inter assensum & dissensum, dubitans, utrùm assentiri, an dissentiri debeat; sed positivo, quo timet errare, aut falli; ac proinde dubitat de veritate objecti

objecti propositi. At iudicium, quod sequitur, quo iudico, certum esse, opinionem illam, cui adhæreo, esse verè probabilem, ac proinde tutam, & peccatum excludere; iudicium, inquam, illud est certum, & ab omni dubio immune. Porro illud duntaxat dubium actionem inficit, quo dubito de illius honestate, vel turpitudine, aut de probabilitate objecti propositi, non tamen illud, quo dubito de objecti veritate.

Sed inquires, si hæc, ita sunt, cur uni potiùs, quàm alteri parti adhæreo? Questio facilis breve responsum postulat. adhæreo, quia volo; quia sum liber, quia ea vi polleo, quàm me determinare valeo; nec enim intellectui ab abjecto obscurè proposito necessitas imponitur; ut patet in actu fidei, ad quem voluntas piâ motione intellectum impellit. Dato igitur, inquis, quod uni partium intellectus, voluntatis imperio, adhæserit; alteri ampliùs adhærere nequit: nempe eo ipso huic falsitatem, quo illi veritatem adstruit. Attamen cum à voluntate uni parte liberè applicetur, eadem facilitate assensum illum deinde revocat, quàm ante præbuit: igitur alteri parti ut intellectus adhæreat; jubet, revocato, seu deposito priore assensu. Quæres fortè, cur utrique simul assentiri non possit? Non desunt gravissimi auctores, qui hoc fieri posse non negent. ego tamen fieri non posse, virtute saltem naturali, existimo, cum intellectus eodem simul instanti, de eodem objecto dicere nequeat, verum & falsum est, id est, verum & non verum: quia est ipsi evidens, propositiones contradictorias simul veras esse non posse. Vnum est, quod difficiliùs objiceres, scilicet partem oppositam etiam certò esse probabilem: iudico igitur probabiliter, v. g. Triplicem contractum legitimum non esse: hinc iudico, certum esse, hanc opinionem

nionem esse probabilem, ac proinde tutam; igitur honestum esse eam sequi, & ab illo contractu abstinere: igitur, inquires, certum etiam judico, turpe ac illicitum esse eodem uti. Hoc ultimum judicium ex antecedentibus non sequitur. alioquin certum esset, idem honestum esse ac turpe, quod repugnat. Unde observandum est id, quod supra dixi; ex eo quod certum sit, probabilem esse opinionem, certum inde judicium deduci, usum illius tutum esse, nisi, ut dixi, aliud præceptum obstet. Igitur si utraque opinio de illo contractu verè probabilis est, tum illa, quæ asserit legitimum esse, tum illa, quæ negat; & certum est, utramque esse probabilem: certò deduco, utriusque usum opinionis honestum esse; igitur tam licere uti contractu illo, quam non uti. si quis autem per errorem, ex prædictis judiciis speculativis deduceret, turpe esse prædicto contractu uti; nemo neget, peccare illum, si deinde præfato contractu utatur. Judico, inquires, illum contractum esse illegitimum, ac proinde illicitum; igitur judicium illud practicum per errorem non deducitur. At ex uno speculativo probabili non sequitur damnatio oppositi, sed ejusdem reductio ad praxim. Sic ex eo, quodd judicem, legitimum esse contractum, rectè deduco, honestum esse illius usum; inde tamen illius non usum non reprobo: item ex eo, quod judicem, probabiliter contractum esse illegitimum, rectè deduco, illius non usum honestum esse; at illius usum inde non damno, quem ex oppositis rationibus honestum esse deduxi. Si tamen certò judicarem, contractum illegitimum esse; rectè inde deducerem, necessariò omitendum, ac proinde illius usum damnare in, equidem per errorem, prædictum judicium de turpitudine illius usus, ex priori judicio multi deducunt; & hoc
stante,

stante, contractu illo, sine peccato, uti non possunt. Si ea pauca, quæ dixi, attentè ponderentur; nulla prorsus difficultas restat.

§. I I.

*Hanc doctrinam scrupulis occasionem
non præbere.*

AD te redeo, Willelme: statim initio pro fundamento statuis, neutram partem tutam, aut securam esse; * ne illam quidem, quæ probabilior est, aut talis videtur: quia *sola vera secura est*. At nescio utra sit vera: igitur utra sit bona, & à peccato immunis, nescio; igitur inde anxius, perplexus & dubius resto; quis hoc neget? igitur cum dubia conscientia operor; igitur pecco, quoties lumen certæ veritatis mihi non affulget. Cuncta hæc ultrò fateris, saltem tacitè, immò satis expressè. vis enim à viro pio falsitatem illarum opinionum, quas Casuistæ probabiles reputant, certò cognosci, idque *unctione*, inquis, & *spiritu sancto docente*. Ad tuam illam arcem spiritus interni statim confugis. Si verò ambigat, & hæreat vir ille pius, convertat se ad Patrem luminum, inquis, qui dat omnibus affluenter. Rectè mones: neque hoc Casuistæ negant. Consulat viros pios & doctos: ain? quos verò tandem? Jansenistas, Arnaldistas directores Portus-regalis. At si dubitet, utrùm illi sint pii, docti, tuti, veri Catholici, alios fortè consulere non debet? consulat, inquires; sed non Jesuitas, non Casuistas. nempè non sunt illi viri docti & pii. Quando litem habes, mi homo, quem, amabo te, consulis? medicumne, an jurisperitum? hunc, ni fallor: nam in sua cuique arte perito credendum

* Pag. 93.

dendum

dendum est. In rebus moralibus & casibus conscientia, si quid difficultatis sentias, quem consules? quemlibet, inquires, modò non Jesuitam, aut Casuistam; id est, modò non peritum. Quod denique de sancto illo tremore Sanctorum subnectis, reverà accipio: est enim, quòd homo Deum timeat, & valde sollicitus vivat: inter hostes vivit, cur non timeat? domi & foris inimicos habet, de quo jam supra. At dubium excutiat, necesse est, ut hic & nunc benè agat: quisquis enim dubitat, ne actio aliqua ex objecto, ut ajunt, mala sit; haud dubiè peccat, si eam elicit. Hæc tamen glutis Willelme, & trepidas & alios trepidare vis, ubi non est timendi locus; audax verò & intrepidus prodis, cum te timor continere deberet.

SECTIO V.

De duobus erroneis consuetudinibus.

S. I.

Primum refellitur.

Casuistæ, inquis, docent, ex opinione probabilis, quam quis falsam putet, eidem licere dare consilium, ut Layman, Vasquez, Sanchez; quod sanè absurdum, nefandum, & impium est. * Si diceret, tibi absurdum, & impium videri, cum absurdis & Heterodoxis hominibus multa impia & absurda videantur, quæ tamen rationi consentanea, & sancta esse constat, utcumque tolerari posses; sed quod ita esse, impudenter clames, quis, amabo, ferat? sed

* Pag. 94. 95. 96.

amicos